



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

13. Quadrupedum, & loquentium bestiarum monstra.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

Idem Valer.  
loc. cit.

etiam, cuius imperio Phrygia fuit subiecta, puero dormienti formica in os grana tritici congesserunt. Parentibus deinde eius, quorum prodigium tenderet, explorantibus, augures responderunt, Omnium illum mortalium futurum ditissimum. Nec vana predictio extitit; nam Midas cunctorum penè regum opes abundantia pecunia accepit: infantiaq; incunabula vtili deorum munere donata, onus auro atque argento gazis pensavit. Omittam hìc L. Sullæ & Hostilij Mancini, itemq; Ti. Gracchi & Tarquinij Superbi, nec non Cræsi, ominosos magis, quàm monstrosos angues: vera monstra futuri nuncia percurram.

Idem & Herodot. l. 1.

## XIII.

Ælian. lib. 1.  
variar. c. 29.

Coi dicunt, in pascuis Nicippi tyranni, ouem peperisse: Peperisse autem non agnum, nec agnam, sed leonem. Atque id Nicippo, qui tum priuatam adhuc vitam agebat, futuram tyrannidem pertendisse. Ita quidem scribit Ælianus. In exercitu Xerxis, quem aduersus Graciam contraxerat, equa partu leporem editum constat, eodem montem Athon vix tandem transgresso. Quo genere monstri tanti apparatus significatus est euentus. Nam qui mare classibus, terram pedestri operuerat exercitu, ut fugax animal, pauido regressu regnum suum repetere est coactus. Bestias quoque locutas supra diximus. Et causam fuisse grauem necesse est, quæ bestiis linguam soluit. Nimirum, more Fæcialium, bella Romanis indixerunt P. Volumnio, & Seruio Sulpicio Coss. Bos namq; mugitu in sermonem humanum conuerso nouitate monstri audientium animos exterruit; quod Orosij supputatione an. 202. ab vrbe condita contigit: quanquam id etiam aliàs dicatur contigisse. Enimuerò & canes legimus locutuleios esse factos. Ita enim scribit Plutarchus. Cimon Atheniensis, cum suos, contra Cyprios, aut Egyptios, pararet milites, & iam in littore maris consistissent, copia, horrenda illi species oblata est. Vidit enim canem quendam lacepsitum latrare, & inter latrandum vera humana voce vi. Astyphilus igitur Possidoniates vir vaticini peritus, eiq; familiaris, mortem, ait, hanc sibi speciem presagire. Quod etiam Mauricio Imperatori, equus repentè collapsus prælagijt, ut paulò post docebo.

Valer. Max.  
l. 1. c. 6. n. 1.  
extern. &  
Herodot. l. 7.

Plutarch. in  
Cimone.

## XIV.

Sed humana monstra præcipuè hunc sibi locum vendicant. Nam illa, ut sunt præcipua, ita & maximè valent: ad ali-  
quid